

Q. D. B. V.

LEXXXV.
11/12

THESES ME- DICAES INAUGU- RALES,

QUAS

BENEVOLO INDULTU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA

HASSO - SCHAUENBURGICA,

PRAESENDE

JO. HERM. FÜRSTENAU,

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. H. T. FACULTA-
TIS SUAE DECANO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE SALUTARI HONORES ET PRI-
VILEGIA DOCTORALIA CAPESSENDI

PUBLICO SENATUS ACADEMICI EXAMINI EXPONET

JOAN. PETRUS WÜSTENBERG,

WARBURGO-PADERBORNENSIS.

D. V. MAII c^olocc XXIX.


RINTELII

TYPIS JOH. GODOFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.

DEO,
PATRIAЕ,
PATRONIS
ET
AMICIS.



Thesis I.



Erebrum est viscus
hominis nobilissimum, in
duo hæmisphæria divisum,
vasculosum, fistulosum & fi-
brosum, in crano & huic suc-
cumbentibus membranis
contentum, nervosi liquidi
sic dictorum spirituum animalium secretioni de-
stinatum.

Th. II.

Glandulas cinericiae cerebri substantiae attri-
butas tanquam fictas repudiare nullus dubito, quam-
quam MALPIGHIIUS, NUCKIUS, BAGLIVIUS,
BOHNIIUS, BIDLOO, BOERHAVE aliique cele-
bres Medici glandularum in externa cerebri sub-
stantia existentiam definiant.

Th. III.

Quo major vasorum moles in exiliori spatio
comprehendi queat, varie intorta atque in varios

A 2 anfra-



2



anfractus distributa est cerebri substantia, unde variæ cavitates (ventriculi appellatae) variæque aliae partes diversis insignitæ nominibus efformantur,

Thef. IV.

Cerebellum est pars vasculosa & tubulosa in inferiore cranii parte sub cerebri lobis sita, figuram obtinens globosam pluribus instructa fulcis per mediam discurrentibus substantiam, atque in vermiciformem abeuntibus processum nervosi liquidi secretioni atque ad partes movendas derivationi inserviens.

Thef. V.

Sunt quidem diversæ in utroque animalium spirituum promptuario partes, quorum specialis usus nos latet. Certum tamen est, easdem tum tenuioris tum crassioris separationi lymphæ nec non nervosi secretioni roris esse destinatas.

Thef. VI.

Viscidior seri pars, materiam minus accommodatam præbens nervis, per certa organa removenda; tenuis portio liquoris secreta extra vasorum cancellas contineri debebat, pro irrigandis illorum tunicis, iisque in debita flexilitate conservandis.

Thef. VII.

Ventriculi cerebri ex mente GALENI, RIO-
LANI

de va-
aliam
ur.

sa in
uram
erme
rmi
di se
i in

lum
ialis
n te-
non

om-
mo-
aso-
ndis
ser-

IO-
ANI

LANI & THOMÆ BARTHOLINI pro promptua-
riis spirituum animalium minime habendi; dictæ
enim cavitates nullam habent prærogativam præ-
interstitiis atque hinc inde relictis inter varias in-
testinorum convolutiones spatiis, vel quacunque
alia cavitate inter corpora se mutuo contingentia
efformata.

Thef. VIII.

Totum nervosi liquoris negotium secretionis
mechanica fit lymphæ tenuissimæ diversis aliis par-
ticulis imbutæ transcolatione & propulsione ex
subtilissimis apicibus arteriosis per interiorem ex-
terioris cerebri partis substantiam disseminatis in
fibras tenues albicantes, dictis tomentosis arteria-
rum extremitatibus continuas.

Thef. IX.

Quo itaque haud interrupto, secretio liquoris
nervosi ordine fieret, tot & tam multiplicita con-
dita sunt vasa, quæ uberiorem succorum quantita-
tem ad cerebrum ducunt, sufficientem atque ac-
commodatam nervosi separationi liquidi materiam
suppeditantia.

Thef. X.

A latere dextro dextra prodiens Carotis sub-
claviam sibi ordinario comitem asciscit, eidemque
coalita, quasi ex hac orta esset, ad certum ascendit
spatium cerebrumque petit; petit dictum pariter
ner-

nervosi promptuarium liquidi Carotis sinistra, quæ ex ipso aortæ arcu solitario progrediens assurgit, & cum dextra carotide in innumeros ramos per totam meningum & cerebri substantiam dividitur.

Thes. XI.

Solæ autem Carotides haud sufficiunt ad continuandam cerebri functionem duæ enim his ad junctæ arteriæ Vertebrales numerum surculorum, quibus vigori cerebri provisum, augent.

Thes. XII.

Pleno flumine per dicta ad cerebrum vasâ corrivatur subtilissima & mobilissima sanguinis portio, particulis crassioribus, mucilaginosis ad organa extera lateralia, glandulas salivales, musculos & vertebras colli delatis.

Thes. XIII.

Non solae particulæ subtiliores propria vis elasticæ instar vaporis in corde rarefacti ex eodem ad cerebrum commeant, uti CÆSALPINUM quæst. peripat. l. 5. qu. 3. CARTESIUM l. de Pass. animi & MOLINETTUM diff. Anat. pathol. cap. 15. statuere legimus.

Thes. XIV.

Liquor nerveus nihil aliud est, quam defecatisima & tenuissima sanguinis lympha, diversis particulis aëreis æthereis salino alcalinis, sulphureis aliis-

aliisque pro prædominantis indole discrasia imbu-
ta, in arteriosis substantiæ cinericia cerebri apici-
bus secreta atque in fistulas medullæ cerebri &
hinc in medullam oblongatam omnesque nervos
pro movendis partibus derivata.

Thef. XV.

Nervi vasa teretia, alba ex fistulis subtilissimis
firmius inter se compactis composita, ex oblongata
spinalique medulla orta, succum ibidem secrete-
rum pro conciliando motu sensuque ad omnes par-
tes derivantia.

Thef. XVI.

Mirus nervorum cerebri spinalis, medullæ inter
se invicem concursus haud satis describi potest, nec
satis exactior ejusdem notitia & hinc resultans in
Physiologiam & Pathologiam utilitas verbis expri-
mi. Hinc petenda ratio harmoniæ in statu natu-
rali inter omnes corporis partes observandæ.
Hinc explicatio consensus inter viscera sana & mor-
bosæ derivanda, ac plura phœnomena, quæ ad oc-
cultas Veteres referebant qualitates, ex hoc funda-
mento demonstrantur.

Thef. XVII.

A recto Veritatis tramite Illi aberrare mihi vi-
dentur, qui impervios nervos esse, partibusque fal-
tem fulciendis, connectendisque tanquam funes in-
servire, afferunt, motum autem & sensum omnem
abs-

absque ullius liquoris nervosi adjumento per solum
animæ imperium perfici.

Thef. XVIII.

Ingeniorum Varietas a diversa cerebri, cerebelli, medullæque oblongatæ & hinc egredientium nervorum liquorisque in illis contenti diversa constitutione arcessenda.

Thef. XIX.

Quomodo nervosi circulatio succi se habeat, maximam scrutanti videtur difficultatem parere: per extremitates nervosas per omnes totius machinæ partes dispersas, papillas dictas continuo exit secerniturque nervosi portio liquoris, conductentis quarumvis partium & viscerum functionibus rite obeundis, qui succus deinceps cum chylo, lymphâ & sanguine venoso, denuo in massam sanguineam per lactea lymphatica & venosa derivatur vasâ.

Thef. XX.

Major adhuc modo explicatâ circa expiscandam constituendamque animæ sedem occurrit difficultas. Videtur maxima approbatione digna illorum opinio, qui in medulla oblongata tanquam nervorum principio, quorum adjumento omnes actiones perficit Anima, eam contineri, afferunt.

Thef. XXI.

Ne sanguinis uspiam in ulla cerebri parte oriantur defectus, quatuor distincti laticis hujus affluxui canæ

canales sunt destinati. Hinc dextra e.g. carotide obstructa vices illius supplet vertebralis ejusdem lateris arteria, & idem eadem in sinistra carotide & vertebrali peragitur methodo. Egregie hanc sententiam WILLISII observatio illustrat, qua carotis dextra intra cranium plane ossea s. lapidea cavitate ejus fere in toto occlusa fuit inventa, arteria vertebrali ejusdem lateris triplo ampliore & maiore.

Thef. XXII.

Vasis illis obstructis, compressis aut constrictis & h. m succorum motu ad cerebrum vel penitus impedito vel diminuto, Coma, Lethargus, Carus, ipsaque Apoplexia excitantur. Nec solum impedita per dicta vasa circulatio id praestat, sed uberior etiam per eadem sanguinis ad cerebrum affluxus, nimium distendendo tunicas principiumque nervorum comprimendo, & tum secretionem tum derivationem succi nervosi ad partes animantis reliquas impediendo, eorundem malorum & cumpri- mis apoplexiæ existit auctor.

Thef. XXIII.

Multiplex est causa materialis Apoplexiæ, Cari Comatis, Lethargi, Epilepsia, Paralyseos Phrenitidis, Paraphrenitidis, Mania, Melancholia, Cephalalgia, Agrypnia, multifaria eaque fibimet invicem penitus contraria excitantur ratione Quis igitur semidoctus etiam Medicus, de diversæ hic

B

adhi-

¶ : ¶

adhibendæ methodi medendi, & diversorum ac contrariorum applicationis remediorum necessitate dubitabit. Maximum igitur adhuc desiderium est specificarum panacearum nervinorum ac remediorum antapoplecticorum epilepticorum & paralyticorum.

Thef. XXIV.

Probari idem ulterius potest apoplexia sanguinea & pituitosa, priori conductit Venæ sectio & præsentissimum illius est remedium, posteriori dicta methodus maxime pernicioſa existit mortemque accelerat.

Thef. XXV.

Non in solo capite & cerebro causa & sedes apoplexiæ est quærenda, nec sufficit in causis allegasse plethoram, visciditatem, & defecatum succorum. Ita apoplexia ex nimia cordis aortæque dilatazione arteriæ generata secundum FABR. HILDANI *obſerv. cent. 3. Obſ. II.* Nonnunquam apoplexia ex compresso obstructoque nervorum principio oritur, polypis quandoque, quandoque pinguedine vasa sanguifera cerebri & cordis in apoplecticis oppilata fuerunt. Corporis callosi ab incumbentibus compressionem hydatidibus PANAROLUS tanquam apoplexiæ causam allegat, quæ igitur de apoplexia, hæc sedulo de Cephalgia Vertigine, Epilepsia, & reliquis similibus morbis tenenda.

Thef.

Thef. XXVI.

Decet hic uti in omnibus aliis morbis perquirendo formalem prædominantis dyscrasiam indolem & solidarum dispositionem partium endando, causæ morbificæ repugnantis remedia atque alimenta indolis præscribere, injuncto simul convenienti rerum sex non naturalium à veteribus dietarum usu.

Thef. XXVII.

Pulmones sunt compages fistulosa, membranacea & cellulosa, ex diversæ tuborum magnitudinis & figuræ, aërem, sanguinem, lympham succum nervosum vehentium, multifariam inter se complicatorum & contortorum atque his intertextorum vesicularum mirabili, ex arteriosis & venosis propaginibus producta congerie coagmentata in pectoris cavitate, quam in inspiratione adimpler, sita, per vasa arteriosa & venosa cum corde, per mediastinum cum sterno & vertebris per membranam, qua succingitur pleura connexa in duos majores lobos divisa.

Thef. XXVIII.

Eximus & fere majoris momenti est usus pulmonum, quam aliorum viscerum, nulla enim reperitur in universo corpore pars, quæ sanguinem accipiat, aliosque ex illo succos, non prius circumdatos per pulmones. Nam sanguis una cum chylo per cavam advectus venam in pulmones, ex dex-

tro cordis ventriculo per tubum conicum brevem
devehitur, in itinere continuata systole premitur,
pressus protruditur protritus miscetur, mixtus con-
teritur, contritus per totam pulmonis substantiam
dispergitur ubi idem ulterius motu vesicularum
vasa arteriosa & venosa ubique comitantium, in an-
gustiores fluens ductus conquassationem, attenua-
tionem & divisionem sustinet, ad majora vero recur-
rens vasa, liberius nunc tenuior, fluidior & floridior
redditus ad auriculam ventriculumque cordis
sinistrum.

Theſ. XXIX.

SYLVII ſententiam, quæ effervescentem in dextro cordis ventriculo ſanguinem ea de cauſa ad respira-
tionis officinam devehit exiftimabat, ut nitroſi
frigidique efficacia aeris temperetur & condene-
tur, meam non facio.

Theſ. XXX.

Varia enim aeris pro tempeſtatū & locorum
varietate, constitutio, varium ſortientis effectum
fermenti illius, quod ſupponit SYLVIUS, defectus
ac ſanguis tenuior & fluidior ex pulmone rediens
contrarium probant,

Theſ. XXXI.

Plurimorum Medicorum & Physicorum, BOH-
NII in ſpecie eft conjectura, mediæ aërem na-
turæ, BORELLI aeris partes graves atque clasticas,
MA-

MAYOVII nitrosum aërem, aliorum spirituosa ex eodem particulas, in sanguineos canales ad conservandum & promovendum sanguinis motum intestinum commeare, ast plurima experimenta & exinde petita argumenta hisce obstant opinionibus.

Thes. XXXII.

Quoniam aeri ad uterum hujus orificio arcte clauso, embryone duabus inclusis membranis denegatus ad fœtus pulmones accessus, exinde fœtum in utero non respirare, concludo, sed etiam gravitas & pondus pulmonum, quod cum reliquis partibus muscolosis tunc obtinent, pulmones magis confirmat, ut vulgari illo constat experimento, quo observamus injectos aqua embryonis pulmōtes lidunt taxat eorundum partem, illico fundum petere.

Thes. XXXIII.

Inculta & obscura eorum est conjectura, qua penitus occupati aliis persuadere gestiunt, quod legitima adhibita cura atque arte, singulares illi in embryone ductus, foramen ovale & canales arteriosos possint integri apertique conservari, atque hinc homo ad amphibiorum similitudinem tam in aqua quam aëre vitam degere queat.

Thes. XXXIV.

Ex nebulosa frigidaque tempestate, nervosa laxando stamina, & hinc ob debiliorem motum redditum oscillatorium condensantur succi ac insensibilis

lis sufflaminatur transpiratio. Retenta exinde materia, & hinc inde circulata acrior & viscidior redita, cum minorem in pulmonibus inveniat resistentiam, hic decumbit, arterios laxat apices intra bronchia fitos per quos humor serosus ad humectanda lubricandaque bronchia separatur; eo vero acriore existente, l. majori excreto copia, premuntur, stimulantur, crispantur dictæ fibrae. Hinc Dy-spnoea, hinc Tussis, restituta autem convenientibus alterantibus & diaphoreticis insensibili transpiratione, & correcto eliminatoque sero acri, abit dyspnœa, cessat tussis.

Thes. XXXV.

Siccae humidæque exinde manifesta est causa tussis, genuinaque, qua hic requiritur medendi methodus. Haud credat aliquis, decoctum raparum, quod tussienti profuisse narrat TULPIUS, omnibus hoc modo laborantibus convenire, nec salviam pulveris tam saccharo junctam pro panacea in praesenti habeat morbo, cuius felicem deprædicat usum RIEDLINUS. Uti enim prius remedium non nisi in solo acri stimulanti serosis & oleosis minus temperato particulis, ita posterius in viscosi coacervatione humoris conducit. Bechica itaque præscripturus accommodata non fidat specificis, sed de mala expiscanda & removenda origine sit sollicitus. Idem enim quod alteri profuit, valdopere obest alteri, atque quo alter a tussi fuit liberatus, illud alteri conciliat tussim.

Thes.

Thes. XXXVI.

Causæ tussim excitantes sœpe incurabiles sunt, talis ossiculum retro laryngem natum, majoris magnitudine a vellanae continuam molestiam continuamque tussi præbens ansam pressione, uti ex cada veris inspectione LYSERUS M. N. C. A. 7. obs. 116. recenset.


Thes. XXXVII.

Juvenes pulmonali laborantes pthisi, ob firmorem tonum & vasorum firmitudinem citius & frequentius senibus, quibus ob laxitatem partium expectoratio promptius succedit, perire videmus. Accedente præsertim præpostero volatilium acrium atque alcalinorum usu, quibus attritus, erosio atque exulceratio augetur expectoratio e contra inhibetur.

Thes. XXXVIII.

Præstat potius detergendo & lubricando oleo amygdal. dulc. olivarum, melle, vitellis ovorum, saccharo, succo liquiritiae manna & similibus, obstructas, strictas aridasque aperire vias & materiam sic emolliatam, leniorum stimulantium aromaticorum & oleosorum calida copiosa dilitorum aqua, qualia infusa hyssopi, majoranæ, salviæ, sapo venetus in lacte datus & solutus calido, successive resolvendo atque attenuando fluidiorem atque ad excretionem aptam reddere.

Thes.



Thes. XXXIX.

Sin vero solus adsit suffarctus pulmonalis non adhibitis modo dictis remediiis, ob defectum tussis exscreatio fiat, conductit prioribus interponere dosin acrium, quo tussi excitata, viscidæ impuritates in bronchiis hærentes, suffocationem minantes, exscrentur. Contrarium autem peragendum, si nullam, ex nimia succorum tenuitate atque acrimonia oborta tussis requiem concedat ægroto, tunc utique ob asperæ excoriationem arteriæ demulcentia atque anodynæ nonnunquam exhibenda, quo spasmos sedando & quietem conciliando, bronchia nimis tensa relaxari denuo queant.

Thes. XL.

In describendo & explicando lienis usu magnus inter Medicos est dissensus. Quidam enim pro cloaca habent, ad quam feculentarum & melanocholicarum sentina impuritatum confluat, peculiare in hoc viscere fermentum volatile confici, quod sanguini communicatum illius fluorem & motum promoveat, erat WILLISII sententia; acidum e contra fermentum hic elaborari & præparari atque in ventriculum per brevia deductum vasa excitanda fami atque assumris eliquidis & resolvendis alimentis sufficiens, HELMONTIUS statuit. Mucilaginosum ovorum albumini haud absimilem humorem in splene generari generatum ad ossium juncturas deduci, quo eosdem lubricet atque in debita conservet lævitatem CLOPT, HAVER existimat

Not.

Not. I. GALENUS l. de usu partium.

WILLIS. tr. de ferment. C. 5. p. m. 13.

CLOPT. HAVER. osteol. nov. disc. 4.

Thef. XLI.


Nec majorem inter Medicos consensum in delineanda lienis fabrica invenimus. Constatre lienem ex sanguine circa vasa concreto, quem *τραχεῖα* vocabant, veterum erat opinio Anatomicorum. Eundem esse viscus vasculosum & glandulosum affirmant MALPICHIUS, VERHELENIUS, BOHNUS, Cellulosa & vasculosa substantia dictum constare viscus, VESALIUS, HIGHMORUS, BIDLOUS asseruerant. Mere vasculosam & fibrosam exhibere compagem, omnibus glandulis destitutam statuit RUYSCHIUS & HEISTERUS.

Thef. XLII.

Lien est viscus vasculosum & cellulosum, bovinam quodammodo linguam figuram referens, in sinistro ventriculi latere situm, modo obscuriore, modo pallido rubro, modo livido præditum colore, per vasa brevia cum ventriculo, per membranam exteriorem cum diaphragmate, rene sinistro, omento & pancreate connexum, sanguinis opem præstans divisioni atque attenuationi, ad illius promovendam ex inferioribus ad superiores redditum partes, atque adjuvandam biliosarum extricationem particulatum serique, quod abdominis irrigat viscera, transcolationem.

C

Thef.



Thes. XLIII.

Vix videtur fide dignum, peculiare in liene separari fermentum, præter sferosas & gelatinosas particulas ad nutritionem hujus visceris desideratas, cum nulla adsint vasa excretoria, & nullus peculiaris in cellulis hujus visceris præter sanguinem, succus inveniatur,

Thes. XLIV.

Genuinus lienis usus est, nervoso vasculosa, & nervoso cellulosa mole, sanguinem confundendo & conquassando in minores & tenuiores dispergere moleculas atque a condensatione & cohæsione, ad quam venosus abdominis humor tenui orbūs sero, & tardius motus, dispositus est, liberare, & hac methodo non bilis modo promovere separationem, sed etiam sanguinis ex venis difficultem facilitare atque adjuvare ad eas redditum.

Thes. XLV.

Purpurei succi per lienis attriti & subtilisati motum, non portæ saltem venæ, quæ crassioris ex venis gastricis epiploicis, pancreaticis & mesentericis succos recipit, multum præstant commodi, sed iidem etiam vitio lienis minus attenuati, augendo visciditatem, hepatis obstructionibus & scirrhis forces pandunt, tardior hinc bilis separatio, separatus humor felleus est crassior, facile in tartreas degenerans excrescentias quam scirrho non solum sed etiam Ictero, alvi obstructionis similibus-

que

que malis favent generandis: patet hinc quoque
causa, cur liene exfecto animantia sint voraciora,
salaciiora, creibius mingant & copiosiorem succum
pancreaticum secernant.

Thes. XLVI.

Lienem scirrhosum atque infarctum per quem
libera jam succorum circulatio retardata vel penitus
sublata fuit, absque vita discrimine convenientibus
adhibitis vinculis posse præscindi, ADRIANI ZUC-
CARELLI experimento a FIORAVANTO pari su-
cepto felicitate *Thesaur. vit. hum. l. 2. c. 4.* atque ob-
ervationibus BONETI *Med. septentr. l. 3. f. 20. c. 12.*
M. N. C. D. 2. & 3. obs. 195. DEUSINGII *de sanguinif.*
cap. 79. satis patet.

Thes. XLVII.

Male pro Melaganosis ex veterum mente ha-
bentur remedia quædam, quæ assumta atro feces
imbuunt colore, quercinum ita polypodium atro fe-
cestingit colore, cuicunque idem exhibeatur; idem
facit in majori cassia dosi, eundem effectum exse-
rit lapis Lazuli atque Armenus, hoc quoque præ-
stant martialia remedia pluraque analoga. *Quis*
vero naturam horum remediorum cum melancho-
lici indeole facci conferens, talia commendabit ex
sanæ dictamine rationis; ferosa potius, & oleosa
frequenter & in majori adhibita dosi conducunt,
etiam his quandoque interpositi pulveres salini di-
gestivi, qui particulas graviores terrestres ni-
miumque tenaces, jam dictis remediis fluidio-
res redditas per alvum expurgant.

C 2

COROL-

COROLLARIA.

Hippocrates non fuit Atheus.

I.

Non omnes magiæ suspecti, nec nulli pro talibus habendi.

II.

Non omnia, nec nulla, quæ de spectris circumferuntur, fidem merentur.

III.

Morbi Magici dicti, nec omnes, nec nulli tales sunt.

IV.

Non datur Anima Mundi.

V.

Non dantur spiritus proprie dicti in physicis,

VI.

Non datur tertia, quam nonnulli asserunt, hominis pars.

VII.

Commercium animæ & corporis per-

har-



harmoniam quandam præstabilitam minus
commode explicatur.

IX.

Sunt quædam in Medicina, quæ nec
dici, nec scribi possunt.

X.

Transmutatio metallorum non omnis
nec nulla admittenda videtur.

Vides hic, B. L. flores ex celeberrimo-
rum virorum, BERGERI, HOFFMAN-
NI, WEDELIORUM, BOERHAVII, RUY-
SCHII, HEISTERI, SALTZMANNI, VA-
TERORUM, STENTZELII, TEICHMEY-
ERI aliorumque partim scriptis, partim o-
rali institutione decerptos: Assumsimus eos
pro specimine inaugurali, quod ut Sum-
mum Numen ad sui Nominis gloriam pro-
ximique emolumentum benignissime
dirigat, humillime oramus.



NO-

**NOBILISSIMO
CANDIDATO SUO**

S. P. D.

PRÆSES.

Imo vero, præstantissime Domine Candidate, hæc sunt clarissima Medicorum ævi præsentis nomina, eorumque maxima in artem salutarem merita. Horum ex schola & ipse ante quatuor & quod excurrerit lustra prodii, & plerorumque, si non omnium dexterimam institutionem gratus hodieque exoscular. Tu vero, Cl. Domine Candidate, quod iisdem fere Praeceptoribus usus, iisdemque principiis imbutus, quæ in Jenensi & Argentoratensi Academia hauisti artis servandorum hominum dogmata nunc


pu-



publice proferre, & mortalium com-
modis adplicare tecum constitueris;
eo nomine & Tibi, & Patriæ, & ægro-
tis Tibi imposterum demandandis im-
pense gratulor, fausta quævis ex tot
egregiis in arte speciminiibus, & hoc
præsertim, quod proprio elaborasti
marte & masculine, spero, defendes,
baud vano augurio ominatus! Vale!

Dabam Rintelii, d. II. Maj.

clcc xxix.



11 335

spicilegia de fidei, & muneribus con-
michi ab aliis secundum consuetudinem
monachorum & Tertiariorum. & ex 10.
Tertiis in hoc scilicet secundum monachum
debet etiam ratione familiare ducatur ex tot
monachorum in omni locum inopus. & pro
digitum, duplo precepsa excepitur
in aliis. & muneribus. His si oportuerit. I. 15. 1
cum quodcumque obligatio contingat. I. 15. 1
Dignissimum Reipublicae ac II. M. 11.

ad DCC XXX.



Rinteln, Diss., 1722-35

X 241 87 69

Farbkarte #13



B.I.G.

Q. D. B. V.

THESES ME-
DICAES INAUGU-
RALES,
QUAS
BENEVOLO INDULTU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA
HASSO-SCHAUENBURGICA,
PRAESIDE

O. HERM. FÜRSTENAU,
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. H. T. FACULTA-
TIS SUIAE DECANO,

PRO LICENTIA
UMMOS IN ARTE SALUTARI HONORES ET PRI-
VILEGIA DOCTORALIA CAPESSENDI
PUBLICO SENATUS ACADEMICI EXAMINI EXPONET
OAN. PETRUS WÜSTENBERG,
WARBURGO-PADERBORNENSIS.
D. V. MAII cloc XXIX.

RINTELII
TYPIS JOH. GODOFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.